

π ρ
386





II r
386

Prognosticon Astrologicum

De

COMETA ET EIVS

motu, qui anno hoc praesenti, in Horizonte Francofurdiano, mense Septem-
bri, sub Urfa maiori, primum multis apparuit. De-
inde motu celeri progressus, sub Arcturo, hora septima
vespertina, a me & meis vicinis multis, per aliquot noctes
sereno caelo, conspectus est: conscriptum, cor-
rectum & locupletatum

A

Abrahamo Rockebach

*I. V. Doctore, graeca lingua & Mathe-
matum ante paucos annos, nunc vero iuris
Professore, iudicii que provincialis in
urbe Sedinorum Advocato*

Anno Epoches Christi

1607.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)






Reverendissimo, inq̄, DEO devotissi-
mo Domino,

DN. LAVRENTIO,
Abbati Monasterii Nova Cella dicti
dignissimo, Domino suo
gratioso.



Monasteria olim scholas fide-
lium fuisse, eaq̄, sepe dicta es-
se, hoc est, honestatis gravi-
tatisq̄ loca, in quib. alii ab aliis
seuncti & solitarii, leges di-
taq̄ prophetarum meditates, honeste & san-
cte vite misteriis imbuti sunt, reverendissime
inq̄ Deo devotissime Domine Abbas, Nice-
phorus libr. 2 Ecclesiasticae historiae testatur,
illosq̄ quatuor has virtutes, earumq̄ conside-
rationes observare debere, Evagrius Gnostici
ordinis monachus celeberrimus iubet, aq̄ Iu-
sto Gregorio se didicisse dicit; Prudentiam,
fortitudinem, temperantiam & justiciam,
Pruden-



prudentiam ideo nominat, quia officium eorum esse dixit, contemplari & considerare sanctas & intellectuales potestates, verbis non adhibitis. Has namq; à sapientia manifestari docuit. Fortitudinis autem officium, esse, in veritate agnita constanter perseverare, neq; ad res falsas transire, etiamsi bellum & discrimen perferendum sit. Temperantia autem, semina à primo agricola iacta recipere, furtim autē aspersum semē, ab adversario reiicere. Iustitia verò, orationem ad dignitatem & commoditatem cuiusq; moderari; vel obscure significando, aut per enigmata, aut per ambages, veletiam aperte indicando, aut ad simplicioris veritatis inquisitionem, utilitatem & profectum. Cumq; ego ante paucos annos, cum illustri & generoso Domino, Domino Bolislao Ioachimo, libero Barone à Lockovitz & Hassenstein, Academia nostra tunc temporis studioso, (cuius parens, cesaræ maiestatis consiliarius, & Lusatia inferioris præses erat) ad monasterium, cui nunc T.R. cum dignitate, Abbatis locum obtinet, venissemus, ibique per aliquot dies commorati

morati essemus, observaturi & inspecturi
ordinis & totius monasterii studi ad diligentia-
que in institutione, præceptore tunc temporis
viro docto, varia doctrinarum genera toti
ordini quotidie proponenti & explicanti, Eua-
grii doctrine superius expositæ, non
dissimilia. Hisq; iam dictis doctrinarum ve-
stigiis, cum totum ordinem T. R. adhuc insiste-
re, à fide dignis hominibus mihi relatum sit,
& ita, ut etiam graduate persone in ordine
monasterii, cui T. R. autoritate & Cæsareæ ma-
iestatis aliquandiu iâ præfuit, præesse adhuc
solet, reperiantur: (De reliquis, politici ordi-
nis officiis iam in monasterio dicto, non di-
cam, quæ omnia ita, ut audio, ordine optimo,
ab hominibus ad ea idoneis, sunt disposita, ut
reprehensionem nulla indigeant.) Inde sumpta
occasione, Reverende Dn. Abbas, cū inter alia hoc
tempore iuris studia, expatiando quodam-
modo à reliquis studiis, meditatione mutata,
hoc tempore, autumnali, cometam, in cœ-
lo vidissem, motumq; eius observassem, T. R.
totiq; collegio, quæ observatione digna fue-
runt, hoc tempore offerre volui.

Quem-

Quemadmodum enim ciborum varietas, gulam irritat, ventre antè etiam satiato: sic lectionis varietas, novum quoddam desiderium, motusq; novos, in animis hominum excitat, ut alter labor animis, prioris veluti quies, & novæ voluptatis fruitio esse videatur. Lætè itaq; fronte, scriptum hoc meum, ubi T. R. accepisse, intellexero, inde qui amor, & quæ T. R. affectio in me sit, re ipsa experiri, mihi satis erit. Ad observationem autem cometarum, quod attinet, experientia longa testatur, exemplisq; aliquot inferius probabitur à me, causas cælestes cometarum esse, cum in aliqua coniunctione superiorum planetarum, aut in eclipsi aliqua, infæusta stellæ dominantur, quando videlicet Saturnus, Mars & Mercurius, Solem aut Lunam infæustis aspectibus in eclipsi intuentur, præsertim, cum aliqua infæusta, superiorum coniunctio præcessit. Hæ coniunctiones, efficiunt in aere, longas & durabiles mutationes. Ac quemadmodum in iis, quæ movent materiam, quando multæ causæ concurrunt, effectus sunt certiores: sic iam dicta, apud eruditiores, vim regulæ habent, ut videre licet, apud Appianum, qui anno

1531, cometam oriturum esse prædixit, cui prædictioni quoq; statim eventus respondit, licet Hali, se cometis aliquandiu generis supra dicti significationes non tribuisse dixerit, donec exemplis victus, postea aliter sentire, coactus sit.

Ad hunc autem nostrum cometam, quod attinet, quem, ut dixi, certas ob causas observavi, cum primarius Electoris nostri Brandenburgici consiliarius, paucos ante dies, de cometæ motu, deq; prognosticatione ipsius, ad me scripsisset, atq; argumentum hoc ut paucis excuterem rogasset, T. R. nomini, tuæq; dignitati, ex causis superius expositis, offerre volui. Cumq; species cometarum variæ, ab historicis recenseantur, κομήτης, id est, crinita, πωγωνίας, id est barbata, ἀκοντίας, à iaculo, ξιφίας à ξίφος, quod gladium significat, δισκοδία à disco, figura rotunda, πιθέτης, dolii figuram habens, κερματοειδής, id est, cornuta, λαμπάς, similis ardenti faci, ἵππος id est, eques. Hæc nostra pogonias id est barbata, quod ad formam attinet, dicitur. Lucem enim suam, non ut crinitus, circa caput sparsit & distribuit, sed in longum, instar lanceæ longæ, nunc versus ortum, nunc
verò

versus Septentrionem. Sic hoc nostro tem-
pore, de causis cometæ iam visi, quoties inqui-
rimus, eas nullas alias esse iudico, nisi duas ec-
clipses proximas, Solis videlicet & Luna,
quas decimo Iulii, coniunctio magna Solis &
Martis, in signo cœli igneo, leone videlicet,
et idemq; Solis & Mercurii coniunctio, in eo-
dem signo iuverunt. Has decimo quarto Iu-
lii, Martis & Mercurii coniunctio secuta fu-
it, unde & motus huius cometæ, versatilis &
incertus fuit semper. Varietas autem &
dissimilitudo motus, non obscure significavit,
materiam in aere, esse halitum, qui non uno
aliquo loco, non spatio certo oritur aut vehi-
tur, sed alibi cometæ incenduntur, & variis
modis postea agitantur, ut aliæ traiectiones.
Sæpe enim ab aliqua stella trabuntur, & ple-
runq; à Marte, eius motum, cum huius flam-
mæ materia imitetur, consentaneum est,
materiam esse elementarem. Motus
etiam celeritas, indicat vicinitatem, nisi e-
nim in aere vagarentur procul infra stellas

non

non posset hic noster cometa, vel etiam alii, ab historicis annotati, tanta spatia, tam cito cōficere Geometricis etiam instrumentis, locus facile deprehendi potest, quæ testes sunt, flammam illam, cometarum, in aere existere, ac quo loca magis versus Septentrionem sunt sita, eo saepius cometas, eo in loco, ac pluries comparere.

Ratio est secundum Aristotelem, quia multum sit exhalationum, & aere putridæ, propter radiorum solarium imbecillitatem, inde quoque fieri, ut plures saepius cernantur. Decimo sexto autem Septembris, & paulo post, splendor nostri cometae, propter Solis & Mercurii coniunctionem, in signo aereo, libra videlicet, auctus est quotidie, ac primum etiam à me, instar lanceæ longæ conspectus est, pridie autem ab aliis hominibus, & etiam à meis vicinis, sub Vrsa maiori.

Stare quoque tunc temporis, in loco valde demisso, mihi visus est.

At intra paucos dies ex loco iam dicto, ita celeriter progressus est, ut vespere tunc temporis, circa horam octavam, à me

B

sub

sub arcturo aliquandiu sit conspectus. De effectu huius Cometæ, multa quidem essent annotanda, nisi tempus & locus iam hoc prohiberent. Addere tamen pauca conclusionis loco, T. R. volui, quod videlicet ex supradictis præfagio, paulo post fore, quod DEVS tempestatibus inusitatis, aeris constitutione putrida, pestilentia, aliisque morbis epidemialibus, & febribus ardentissimis, humanum genus sit puniturus, ac tandem etiam aeris siccitate insolita, ex qua caritas annorum maxima sequetur, coniunctis rumoribus bellorum, seditionibus, imperiorumque devastationibus & destructionibus maximis, nisi precibus piorum; DEVS placatus, tanta mala avertat.

Sic anno 1606, cometa apparuit, hunc eclipsis Lune, in Aquario præcessit, cum in leone & loco opposito, Sol, Saturnus, Iuppiter & Mercurius convenissent, & Lunam Mars ex trigono aspexisset.

Deinde mense Novembri, Saturni & Martis coniunctio, in leone est secuta, à qui-

bus

bus Luna discedens, mox ad oppositionem
Solis accessit.

Aliquanto post, fulsit cometa, cum
causae illae praecederent, materiam contra-
xissent & inflammassent. Hunc mox mors re-
gis Hispaniarum secuta est, deinde etiam
bellum Venetum exarsit, in quo quam va-
rie vicissitudines orae sint, Itali & Galli
quantis affecti sint cladibus, quae &
quanta fuerint regum defectiones, historia
abundè testantur.

Inde Seneca interrogatus, regnan-
te Nerone, quid cometa fulgens, tunc tempo-
ris portenderet, ridiculè in gratiam Neronis
respondisse scribitur, felicitatem magnam
toti terrarum orbi, tum ipsi Neroni, iam im-
perii habenas tenenti portendere, cum con-
trarium potius, ex effectu paulo post secu-
tum sit.

Neroni enim tragicum exitum, Iu-
daicæq; genti toti interitum, cum siccitate &
sterilitate maxima portendisse, & mox secutum
esse, historici annotarunt, sicut quoque apud
Aratum, plura exempla recensentur.




Hæc

*Hæc & his similia mala, quæ cometæ
omni tempore in mundo portenderunt, Ca-
merarius unico hoc senario significavit:*

Οὐδὲς κομήτης, ὅστις ἔ κακὸν φέρει.

*Plura de his exempla cognoscere cu-
piens, tractatum meum integrum de cometis,
& eorum effectibus, à condito mundo ex hi-
storiographis, ante paucos annos à me
in lucem editum, evolvere
poterit.*





A D
Reverendissimum inq̄
DEO devotissimum Dominum,
Dominum L A V R E N T I V M,
Abbatem Monasterii, Nova Cella
dicti dignissimum, Dominum suum
gratiosum.



*Bbas, Mecœnas, quæ nûc tibi
munera mitto,
Accipe, at à studiis non ali-
ena tuis.*

*Offero Pieridum flores, quos
legimus hortis,*

*Vnde benigna tui rura colantur agri.
Anni præsentis, quæ symbola nil nisi, Et opto,
Auspicio felix, totus ut annus eat,*

B 2

Inte-

*Interea placide peragas quoque tempora vite,
Et sicut valeas, utilis esse vale.
Sic Domino grates, poteris quoque dicere Chri-
sto,
Et sanctas dulci voce referre preces.
Gloria sic perpes tibi crescet, nostraque semper
Lingua, erit in laudes officiosa tuas.*

T. R.

addictus

*Abraham Rockenbach I. V. Doctor &
Professor, iudicijque provincialis
in urbe Sedinorum advocatus.*



Handwritten text in a narrow column on the left edge of the page, likely bleed-through from the reverse side. The text is written in a cursive script, possibly Arabic or Persian, and is partially obscured by the binding.



QK TP 356

nc

Pou Tip 386, au

ULB Halle 3
003 918 19X



V077





H. 362, 14.



in
ri
br
in

A
I.
m

C



KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black											



cum

EIVS

ti, in Ho-
e Septem-
apparuit. De.
hora septima
iquot noctes
n, cor-

ebach

Mathe-
verò iuris
ialis in

isti



T.222

